









19

1729, 17

FACULTATIS JURIDICÆ  
 DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
 Streit, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
 ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
 RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
 Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





FACULTATIS IURIDICAE  
DECANVS  
JO. PHILIPPVS  
CIVIS

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS


L. B. S.

---

ERFORDIAE  
Typis GROSCHMANNI, Acad. Typogr.







Contractus ex conventionione legem accipiunt. *L. contractus 23. ff. de R. I.* & in omnibus obligationibus pro lege est, ut id quod conventum, præstetur. *per L. exempto. ff. de act. empt.* & bonæ fidei nihil magis congruit, quàm ea, quæ placuerunt, custodiri: culpa enim est contra pacta venire. *L. videamus 11. §. 1. §. ult. ff. locati.* Si itaque de conventionione partium constet, dispositio legis non attenditur; quia lex silet, ubi homo loquitur. *Schneid. §. item serviana. inst. de act. n. 35.* & provisio hominis tollit provisionem legis. *Novell. 22. cap. 2.* conductor igitur omnia secundum legem conductionis, secundum pacta & conventa facere tenetur. Sed si nulla pacta inter locatorem & conductorem intercesserint, si nonnulla in pactis, & ut loquitur imperator, in lege conductionis ommissa fuerint, inspicienda erit dispositio legis, juxta regulam: ubi homo non providet, lex supplet. *arg. L. 4. §. si quis 5. ff. de re jud.* & casus in pactis ommissus, remanet sub dispositione juris communis. *arg. L. si extraneus ff. de condict. caus. dat. Quare ser-*  
van-



vanda erunt omnia ea, quæ veniunt ex contractus natura, & quæ ex bono & æquo veniunt præstanda; est enim locatio conductio contractus bonæ fidei, in quo multa veniunt, de quibus in conventionem nihil fuit dictum, neque cogitatum. Sic conductor non tenetur reficere ostia, fenestras, & ea, quæ indigent aliquâ refectione, sed agit contra locatorem ut reficiat, nisi sint deteriorata & destructa per conductorem, & quidem suis sumptibus. *Schneid. ad Inst. de locat. & conduct. §. item queritur n. 3.* Pensionem enim expectanti omnia facere incumbit, sine quibus conductor re conductâ frui non potest. Aliàs si locator non reficiat, poterit conductor recedere, & pro ratâ temporis tantum pensionem solvere. *per L. si menes 25. §. 2. ff. locati.* Cessante enim causâ pensionis, cessare debet ipsa pensio. Quod tamen non procedit, si magna sit incommodatio & inquietudo non recessit, hoc enim casu ad integram tenetur pensionem, sibi enim imputare debet, quod non emigraverit, & quod usus sit ædibus, ex quibus ex justa causâ emigrare potuit. *Gothofr. ad L. 8. in pr. ff. locati.* Sic quoque æquitas postulat, ut si conductor damnum intulit rei conductæ, illud suis impensis refarciat. *L. si vulneraveris 43. ff. locati.* Sic si conductor aliquas impensas utiles vel necessarias in rem conductam fecerit, eas à locatore rei repetere potest. *L. Dominus 55. §. 1. ff. eod.* vel in pensionem imputare. *L. colonus 61. in pr. ff. eod.* nec finito locationis tempore, nisi restitutus sibi hisce impensis, rem conductam locatori restituere cogitur. Quamvis autem ante finitum locationis tempus conductor è re conductâ expelli non possit, tamen ex æquo & bono certæ causæ exceptæ intel-



intelliguntur, veluti si propriis usibus locator probaverit necessarias sibi ædes. *L. 3. cod. de locat. conduct.* ipse enim potior est, & propter inopinatos casus licitum est Domino recedere à conventis, & necessitas facit aliquid licitum, quod aliàs non esset licitum. Idem est si res egeat necessariâ refectione. *ibid. L. 3.* licet aliqua subit injuria conductoris, eam tamen non causat locator *L. qui insulam 30. & L. Et hæc 35. ff. eod.* ut sufficiat pensionem remitti. Idem est, si in re conducta malè verferetur conductor, etiamsi sub pœna convenerit, ne expellatur. *dist. L. 3.* subest enim conditio, ut colat ad modum boni patrisfamilias. *L. Quæro 30. §. inrer ff. cod.* Idem est, si biennio continuo pensionem non solverit. Rationem reddit jurisconsultus Paulus hanc, quia verisimile est, ita convenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionem solverit, & ut oportet coluerit. Plures adhuc aliæ æquitates in conductione & locatione præstandæ, recenseri possent, sed de his pluribus, occasione *dist. L. 3. cod. de locat. & conduct.* quam pro lectione cursoriâ elegit, aget,

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

JACOBVS HENRICVS  
WINTZIGERVS,

Zittaviensis,

Natus is fuit Anno MDCC IV. die I. Decembris honestissimis & integerrimis Parentibus, Patrem habuit virum Prænobilem & Consultissimum Dominum JOANNEM JACOBVM WINTZIGERVM, J. V. D. & Republicæ Patriæ Zittaviensis Prætorem, quem omni

) ( 3

hono.



honoris ac filiali amoris cultu veneratur. Mater optima pauco ab hoc tempore beatè defuncta, SVS ANNA MARGARETHA, è gente Ryffeliorum Lipsiæ orta fuit. Avum Paternum habuit M. ANDREAM VVINTZIGERVM, Iudicii Zittav. Actuar. Avum maternum habuit JACOB. HENRICVM à RYSSEL, Serenissimi Ducis Schleswig-Holsteimensis FRIDERICI Secretarium. Prælaudatis suis parentibus optimis pro laudabili educatione gratias quas potest maximas persolvit, nihilque magis in votis habet, quàm ut summum Numen Domino suo Patri omni pietate colendo vitam longissimam, omnesque in ea exoptandas prosperitates benignissimè concedere velit. Inter suos præceptores primus per aliquot annos & quod excurrit, quoad lectiones privatas fuit Dn. ANDREAS KNEBELIVS, Gymn. Zittav. Colleg. meritisissimus. Cæterum curriculum vitæ suæ, quod nobis exhibuit, sequentis est tenoris, quod nempe in Gymnasio Zittaviensi optimorum virorum, Dn. JOANNIS CHRISTOPHORI WENZELII, Medicinæ Doctoris, & Gymn. Direct. Dn. Mag. ADAMI ERDMANNI MIRI, Con-Rectoris, m. b. viror. Dn. Mag. CHRISTIANI GOTTLÖB PITSCHMANNI, tunc temporis Sub-Rectoris, nunc autem Catechetæ & concionatoris ad Div. Petri & Pauli. Præprimis autem Dn. GODOFREDI POLYCARPI MÜLLERJ, olim in Universitate Lipsiensi Prof. publ. in Oratoriæ studio, nunc verò Directoris prælaudati Gymnasii famigeratissimi, atque JOANNIS DAVIDIS STRAVBIZII, nunc Sub-Rectoris dignissimi, nec non Dn. M. MICHAELIS ZIEGERI, aliorumque fidelissimâ informatione, pro quâ decentissimas habet grates, per Dei gratiam eo sit ductus, ut ad altiora potuerit ascendere.

Quare



Quare Dn. suus Parens summè sibi venerandus per semestre æstivum anni M DCC XXV. Institutionum Imperialium textum eidem fidelissimè prælegerit, ex quo ita profecerit, ut pro hoc paterno amore obstrictissimum se profiteatur. Proin celeberrimam Academiam Lipsiensem 28. Septembris An. M DCC XXV. petiit, ibidemque sub Reſtoratu Magnifici atque Experientissimi Domini AVGVSTINI FRIDERICI WALTHERI, Medicinæ Doctoris, Anatomix & Chirurgiæ Prof. publ. in Civem Academicum receptus fuit, & fortunâ quasi duce, consultissimi viri, Dn. ABRAHAMI KÆSTNERI, J. V. D. & Practici Lips. informationi in Theoria & Praxi per integrum Triennium se concedidit, cursumque juris sub ejus manuſductione absolvit, cujus consilia & benevolentiam se nullo unquam tempore compensare posse, profitetur. Porro ad Philosophiam se convertit sub informatione privatissimâ Dn. DAVIDIS GOTTLLOB DIEZII, J. V. D. & Practici. Deinde notitiam rerum publicarum Europæarum sub manuſductione viri Consultissimi Dn. JACOBI AVGVSTI FRANKENSTEINI, Consil. Aul. Anh. Serv. acquisivit. Ad jus feudale verò audivit Dn. JOANNEM GODOFREDVM BAYERVM, J. V. D. & Jur. Pract. Quibus historiam Imperialem Romano Germanicam adjunxit quam docuit vir Consultissimus JOANNES JACOBVS MASCOVIVS, J. V. D. & Senator Lipsiensis, nec aliorum neglexit collegia; inter quos refert Dn. GEORGIVM ANDREAM JOACHIMVM, J. V. D. & Pract. principia Processus Criminalis & Inquisitorii prolixè explicantem. Denique collegiis publicis interfuit, & in iis Præceptores habuit juris Antecessores celeberrimos, Dn. D. JOANNEM FLOREN.



RENTM RIVINVM, Pand. Prof. Publ. Ordin. Dn. D. CA-  
ROLVM OTTONEM RECHENBERGIVM, Cod. Prof.  
publ. Ord. Dn. D. GEORGIVM CHRISTIANVM GE-  
BAVERVM, J. F. Prof. publ. Ord. Dn. D. HENRICVM  
GRIBNERVM, Consil. Aulic. Sax. Jctum, Antecessorem,  
& Facultatis Juridicæ Lips. Ordinarium famigeratissimum. Summo etiam cum studio Wernheri principia  
Juris Ecclesiastici protest. docentem audivit. Deinde  
ad prælaudatos suos parentes rediit, & jussu Domini sui  
Patris nos accessit, & ad consuetum examen Docto-  
randorum admitti decenter petiit, admissus textus ex  
utroque jure transmissos doctè ad eò exposuit, & ad  
quæstiones propositas tam eruditè respondit ut unani-  
mi consensu gradu Doctoratûs dignus judicatus sit,  
proinde cras, 27. cur. mensis lectionem cursoriam ad  
L. 3. cod. de locato conduct. eâque finitâ Disputationem  
Inauguralem, DE IIS, QUÆ NOBIS INVITIS  
FIVNT, horis consuetis, habebit. Ad quos actus  
solennes, magnificus Dn. Rector, Dni Proceres & Cives  
Academici perhumaniter invitantur. Publicatum sub  
Sigillo Facult. Jurid. XXVI. Jun. MDCC XXIX.

L.S.



(X228 2285)

VD  
18

ULB Halle

3

007 436 564











1729, 17

19

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANVS,  
JO. PHILIPPVS  
*Streit*, JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

